

itaque vivacitas M. Tullio propria est, ut antequam argumentationis impleat, victoriam praelibet in ipsis propositionibus.

Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se
5 hominem occisum esse fateatur.

Hoc primum adgressus refutare in omnibus caedibus non confessiones esse damnandas, sed causas potissimum requirendas. Cui responsioni adhibet firmamentum . . . antiquitus Horatium quoque non caede vulgari, set de 10 parricidio, hoc est interempta sorore confessum absolvi tamen probata aequitate meruisse. Quippe Horatius victor Romam regressus occisis tribus Curiatis Albanorum obviam sororem habuit deplangentem Atti Curiati obitum, cui desponsa fuerat. Ob <id> interfecit eam frater et 15 spolia Curiatiorum trina fixit loco celebri, cui pilae Horatiae nomen est. Hic tamen caedis accusatus ab inimicis, cum capitis causam apud Tullum regem patre defendantem dixisset,